

IPSIS VIGILIIS,  
 QVIBUS PRÆSIDISCHOLARUM ET CUSTODI  
 O. M. SPIRITUI SANCTO,  
 PRID. ID. MAJI, A. R. G. clō 1ō cc XII.  
 SACRA SOLENNITER PARABANTUR,


NOMEN AUSPICATIS-  
 SIMUM  
 VIRI SUMME REVERENDI, AMPLISSIMI,  
 ATQVE EXCELLENTISSIMI,  
 DOMINI

CHRISTIANI  
 LEHMANNI,

DOCTORIS THEOLOGI MERITORUM MA-  
 GNITUDE ET GLORIA CELEBERRIMI, PRÆSULIS, ATQVE  
 PASTORIS FREIBERGENSIS PRIMARI, EPHORIQUE SUI  
 GRAVISSIMI,

QVOD EO IPSO DIE IN FASTIS CELEBRABATUR,  
 FESTO RITH, PIETATIS ET OBSERVANTIÆ  
 CAUSA, CANUNT

GYMNASII, QVOD FREIBERGÆ EST,  
 PRÆCEPTORES, CUM SUPERIORUM  
 ORDINUM DISCIPULIS.



STANNO KUHFIUSIANO.



Kapsel 78 N 13 [78] X303253P

AK

**N**Imihi vobis cum veteris miracula mundi;  
Tuque vale septem turba Pelasga Sophum.  
Spiritus his longe cunctis mihi sanctior ille,  
Qui sua, Christe, tibi munera tanta dedit.

At tu, qui Caput es rerum, simul atque Ministros  
Istis instructos discipulis esse tuos.

Lehmannum video: Sapiens, Confus, Pius, Heros,  
Condita cognoscit, scitque, timetque Deum.

Omnia sic complexus habet: jungatur at unum:  
Salvus sit nobis; usque sit incolumis!

*Animo magis, quam stylo pietatem & obsequium Epbro suo religiose venerando, & Patrono incomparabili probaturus f.*

M. Samuel Mollerus, Gymn patr. Rector.

**A**uspiciis, hem! læta dies felicibus orta  
Nomen fert, *Summe Vir Reverende*, Tuum.  
Isacidis quondam tulit hæc præconia legis;

Auræ nunc sanctæ pandere dona parat.

Plaudimus, ut par est, quotquot pendemus ab ore,  
*Vir quam submisisse De venerande*, Tuo.

Ex Te, quid valeant divina charismata, scitur,  
Quæ pia lingua sonat, sancta que vita refert.

Hoc præstes porrò firmatis viribus, inde

Lætari poterunt urbs, schola, templa, domus.

*Lætitiâ reliquos inter Ecclesie primæ ritus, quam Hildebrandus de Diebus Pæstis p. 80. à Paschatis ad Pentecostes usque festum ex Augustino postulat am probat, respiciens animi obsequium test.*

Sam. Hassé, Contr.

**I**nuita lentum scripturo Pallade carmen  
Melpomene: ungviculus quid tibi rodis? ait.

Quæ tibi caussa fuit luctus, *Templisque, Scholæque.*

Hactenus? ægrotus, scribe, *LEHMANNUS* erat.

Publica nunc pulsas tibi quid, Templisque, Scholæque,

Apportat curis gaudia? scribe: *Valet.*

At nunc quæ tua sunt, quæ Templi vota, Scholæque,

Quæve preces urbis? scribe: *LEHMANNE*, *Vige!*

M. Theophilus Grabnerus C. T.

**S**piritus ille Deus, veræ pietatis amator  
Acautor, sanctè quæ vivere docet,  
Et cu jus laudes cras concelebrabimus amplas,  
Plurima quas ejus promeruerè bona.  
Ille Tibi, summè nostri Venerande Sionis  
Præful, eâ soli laude nitere dedit,  
Ut, velut exemplum es virtutis nobile, tantæ;  
Sic etiam Doctor strenuus esse queas,  
Iste velit morbis fractas tibi reddere vires;  
Gaudebunt, quibus est religionis amor.  
Johann Samuel Beyer, Cantor.

**P**alma velut semper se victrix tollit in auras,  
Pressa licet valdè, sed tamen illa viret:  
Sic etiam surgas, valeas, *LEHMANNE*, vire fcas.  
Nec cedas, quum Te, fors onerosa premit.  
Adsit præsidium Tibi cunctipotenti Jövä,  
Ejus pendet nostra favore Salus!  
Te Deus omnitenens per tot discrimina rerum  
Servatum, porrò servet, honoret, alat.  
Vivas, & longum Templisqve Scholisqve vigescas!  
Canitiem donec tollat Jöva tuam!  
Benjamin Pfeil, Coll. V.

**G**audia post fletus, fulget post nubila Phœbus;  
Sic TIBI post morbum splendet amica dies,  
Quò fidi læta gratantur voce Clientes,  
Qvo votis onerant æthera, tempus adest.  
Me quoqve gratari vis flammea mentis amantis  
Seriaqve obsequium vota vovere jubet:  
Firma valetudo sustentet corporis artus,  
Perstet in ore color, perstet in ossa calor!  
JESUS concedat felicia tempora vitæ!  
Et Tua lætanti gaudia voce canam.  
S. G. R. Coll. VI.

**T**orgaviæ fulget lætus post nubila Phœbus;  
*Hoffcunzi* reparat *Bucci*us, eni obitum.  
Elucet Pirnæ lætus post nubila Phœbus;  
*Schroverdnerum* extinctum subsequitur *Lucius*.

Lisnigio splendet lætus post nubila Phœbus;

*Sperlingi, Kœbler*, munera restituit.

Clarius at nobis fulger post nubila Phœbus;

**LEHMANNUS** vivit, spes rediit melior.

Fundimus hinc gemitus, gaudentes gaudia magna,

Vivat IS incolumis tempora Nestorea!

Michael Gebhard, Succent.

\*\*\*\*\*

**I**ngenuas animum quos excoluisse per artes,

Quosque sequi Aonidum dulcia castra juvat;

Surgite! spectatum LEHMANNI extollite nomen;

Amplificent laudes quælibet ora Viri!

Gottlob Weinold/Kleinbartm. M.

**D**ignus est meritò, summâ qui laude feratur;

In quem præcipue gloria cuncta cadat.

Qui possunt, igitur, fundant præconia lingvæ

Dulcisonis modulis: Dignus is est meritò.

Joh. Godofr. Hauck, Groshärtmânsd. M.

**E**st. Ipsi enim magnas it fama per urbes

Inclyta. Nec mirum; tangit & astra poli.

Factis extendit claris sua nomina clara;

DOCTRINA, EXEMPLO, MORIBUS, INGENIO.

J. G. Marc, Episcopivilla. M.

**S**urgite! quæ Christo debetis nomina, quasque

In sua, ceu Pastor, pascua ducit oves,

*Hic* nam Sionidum Decus est, ac ordinis *Ipsam*

Sacrati Christus maluit esse Ducem.

Christianus Andreas Nitzschius, VVeitzschenâ Misn.

**E**t mea surge, Thalia, modis cantare *Lebmannum*,

Qui Pindi fulcrum est, Aonidumque decus.

Rumpe moras, agedum, resonet tua chorda per orbem;

Hunc sibi nam cultum poseit Apollo tuus.

Joh. Frid. Struntzius, Uchtericio, Thuringus.

**I**n vano labor est, socii, Cedrosine myrica

Delectent celsas, aut frutices humiles?

In tenui labor est noster; sed sidera magni

Attigit ille suo vertice clara poli.

J. N. Esdorff / Salza Thuringus.

**E**sto: tamen laudes si non attingere possis,

Exemplum, vitam volve, revolve, Viri.

Hujus, quisquis ades, virtutes volve, revolve,

Quæ rectimerito regula sunt tibi.

David Gottlob Trübbsch/Erdisdorf, Misn.

**J**usta mones: igitur versu venerabimur istos

Qui caput hoc terris progenerent lares.

O! felix Atavum series, faustique parentes,

Quorum tanta fuit sanguis origo boni!

Johann Gottfried Klemm /

Oberschön-Misn.

Vos

**V**os auro gravidos montes jubeo esse beatos!  
Mifnia, te partus munera larga beant,  
Hoc Lucina decus vobis, dedit alma, Sudetes!  
Qvi Lehmannum adamat Mifnica faxa & amat.

Joh. Ad. Henningius, Fr. M.

**Q**vis genuit? dicam, sacri Gens ordinis in qua  
Confedit sancta religiois amor.  
Ordinis ipse sacri nam firma columna futurus,  
Stemmata tam sacro progenerandus erat.

Samuel Justus **Qvellmaltz** / Freib. Mifn.

**I**psa Parens magno patriam complexus amore est,  
Pieriiqve chori fautor amandus erat,  
At magis hic studuit, rerum successibus auctus,  
Dotibus his cunctis vel superare Patrem.

Benj. Aug. Kleinpaul, Leubens, Mifn.

**A**spexit primum, quod mirum, lumina vitae,  
Quum coepit Svecis cincta Friberga premi.  
Et bene praedictum: Tandem Freiberga per ipsum  
Libera quod posset salva quiete frui.

Johannes Casparus **Tröger** / Freib, Mifn,

**C**um tristes toties liquissent ante parentes,  
Hostis vi pulsi, dulcia rura sua,  
Hic postquam natus, DEUS ipsis otia fecit,  
Qvippe quod alter iis Noa futurus erat.

Joh. David **Klemm** / Tzschop, Mifn.

**D**um campana sonat, sanctus dum cursit at aedem  
Ad sacram coetus, lux sacra fert puerum,  
Omne num careat res haec? praedicitur illud  
Quod recte summi Vox cluit ipse Dei.

Joh. Paulus Grübelerus, Ositz, Mifn.

**I**psius ingenua cura studioqve Parentis  
Crescit, & inseritur religiois amor.  
Ingeniumqve capax una se vertit ad artes,  
Mularum cupiens dulcia castra sequi.

Joh. Christianus Rümplerus, Obergruna Mifn.

**S**cilicet in tenera confestim aetate probavit,  
Heros hic qualis fera per aeva foret.  
Ceum volitant aqvilae; sic primis Noster ab annis  
Assurgens solers ardua quaeque perit.

Christophorus Benjamin Rümplerus, Obergr, Mifn.

**T**empus erat cultus causa melioris adiffe  
Quas alibi reserat prosper Apollo scholas.  
Chemnitium placuit, placuit Seifridius, ille  
Qvi Rector celebris, Praesulitemqve fuit.

Christoph Gottlob **Schubert** / Freib, in Hermund.

**D**octor Apollinea Rappoltus clarus in arte,  
Scripturis doctus notitiaqve Dei,  
Adjuncto sociis, quos Thomae perficit aedes  
Sedula Lipsiaci, plurima deinde dedit.

Christophorus Gottlob **Strauß** / Freib, Mifn;

**A**rtibus ex cultus tenebris excessit & umbris;  
Ipsius Pindi culmina summa petens.  
O quanta hic didicit, quae vidit, quaeque locutus!  
Dicere quae nobis Lipsia sola queas.

Johannes Ernestus de Auerswalda,

Laudi-

**L** Audibus extollunt magnis te, Lipſia, cuncti,  
Qvæ propè diviniſes cumulata Viris,  
Rebus delectas cunctis, donisque verèndis,  
Quas Divi ſtudiis excoluere ſuis.

Johannes Gottofredus *Krauß*/ Freib. Miſn.

**N**on alius quisquam fuit hic attentior, ipſa  
Lipſia dum merces ſponder Appollineas.  
Haud operæ parciſt Lehmannus, cunctaque confert,  
Ut tantum poſſet participare bonum.

Chriſtianus Alberti, Saydenſis Miſn.

**A**c potuere Tibi rectè ſuccedere vota,  
Ingenium felix, gratia magna fuit.  
Doctores etiam Tibi fors conjunxit amantes,  
Et claras ſtudiis junxit amicitias.

Johannes Chriſtianus Kadnerus, Launſtein Miſn.

**H**æc optata fides; & fœdus Carpoviorum  
Duræ inſtar rupis tempus in omne ſterit.  
Unus amor vobis, vobis eademque voluntas,  
Lædere quam poſſet nulla querela, fuit.

Johannes Naumannus, Gleib, Miſn.

**I**nter ſe placido ſed dum paſcuntur amore,  
Heu! Samuel Dreſdæ Morte peremptus obit.  
Hinc animæ rapta tam dulci parte *LEHMANNUS*  
Pertæſus terræ regna beata cupit.

Gottlieb Dietrich/ VValdh, Miſn.

**D**eſeris aſt urbem, tam magno nomine claram,  
Ad doctas adiens Leucoriſ Aonidas.  
Ductus enim tantæ mirando ſedis amore,  
Qvæ famam cunctæ religionis habet.

C. R. Schubert, Eppendorff, Miſn.

**D**um fuerint homines, tua laus, Viteberga manebit,  
Ac ipſi, per quos res viguere Viri.  
Meiſnerum memorant grati magnumque Kunadum,  
Qvin & Calovii Qvenſtediique decus.

Joh. Abrah. Friedhelmus, Freib. Miſn.

**H**inc ſibi *LEHMANNUS* lætiſſima pabula cepit;  
Præterea ſimplex menſa dabatur ei:  
Scilicet id ſignum virtutis: Corporis illi  
Poſterior, mentis maxima cura fuit.

Joh. Thomas Käſner / Freib. Miſn.

**H**anc in præclaros attollens fortiter auſus,  
In docto cœpit tela vibrare gradu.  
Vincit, & applaudunt Patres: Victorque reverſus,  
Non animo ſolers otia pigra dedit.

Joh. David Frenzel / Freib. Miſn.

**I**mmenſum ſtudium cognoscens Leucoriſ alma,  
Ut caperet ſtudiſ præmia digna cupit,  
Caſtalidesque ejus cinxerunt temporalauro,  
Quæ docti cœtus eſſe corona ſolet.

Godofredus Vogelius, Roſſvin, Miſn.

**A**ſt ea tunc Mater longe majora videbat,  
Ur quæ venturi præſcia vera ſapit.  
Præcipit, ut Nymphæ ſacrarent ſerta Sionis,  
Qveis olim poſſet grande nitere caput.

Joh. Chriſtoph Klemm, Brand, Miſn.

Ignä

**I**gnarus fati LEHMANNUS deserit amplas  
Leucoridum sedes, jusserat ista Parens,  
Sed tamen instinctu divini Numinis illam  
Aggreditur, per quam quæreret alta, viam.

Godofredus **Dorstenborffer / Eppendorff, Misn.**  
**A**ntiqua curans Antistes sacra Misena  
Qui Zimmermanni nomina clara tulit;  
Invitat Nostrum, merito dignatur honore,  
Doctrinæ referans cœlipotentis opes.

Christianus **Gottlieb Hermannus, Nossena-Misn.**  
**N**octes atque dies solers evolvere suevit  
Ipse manu hic doctos innumerosque libros,  
Ac ut apes, memores hyemis, quæstia reponunt  
In medium, legit sic quoque mella sibi.

Joh. Godofredus **Zieger / Francoberg, M.**  
**C**ampus apertus erat, fashine contendere, sacris  
De rebus voluit lingua perita loqui,  
Et cum certaret Musarum gloria, litis  
Zimmermann justus tunc moderator erat.

Joh. Christophorus **Fritschius, Tuttendorp, M.**  
**P**aucis multa loquar; qualis, **LEHMANNUS**, fuisti  
Postea, Vir talis tempore factus ibi es:  
Omnibus instructus rebus semperque paratus,  
Ut quæcunqve humeris susciperes onera.

Joh. Christoph **Göze / VVegefarth, M.**  
**A**ST alti gradibus scandenda cacumina honoris:  
Et dandum studii denique erat specimen:  
Dat nomen Patribus summi sanctique Senarus,  
Moxque parat jussus munus adire sacrum.

Martinus **Mühlbergus, B. M.**  
**M**aturis, Genitor, vires adimentibus annis  
Postulat, ut senii vivida fulcra forent.  
Filius accepit partes, auditque sacerdos,  
Munera dilecti dum sacra Patris obit.

Samuel Gottlieb **Göwe / Freib. M.**  
**A**D montes Annæ hinc gelidos it ritè vocatus,  
Cum Mystis faciens interiore loco,  
Non hiat imprudens majores forsan honores;  
Sudore expectat plura brabea suo.

Samuel Theodorus **Quellmaltz, Freib. M.**  
**S**cilicet ut miles quævis stipendia tentat  
Strenuus, & parens culmina summa petit:  
Sic quoque LEHMANNUS, divi Dux ordinis olim,  
Auscultans docto maluit esse Duci.

Daniel **Felgner, Stauchensis Misn.**  
**A**T facilis dignis adscensus; Namque secundum  
Anna, sed ad majus, diva vocabat eum,  
Nam quod virtures ejus cognoverat ante  
Ipsum Presbyterum poscit habere sibi.

J. C. **Thilius, Groshartmansdorp, Misn.**  
**N**on langvet virtus, sed pergit rite mereri;  
Ferre sed & meritis pergit honoris opes,  
Symmistis cunctis Mons Annæ præficit ipsum,  
Illius & curæ tradit ovile suum.

Christianus **Friedericus Gerstenberger / Lipf.**  
**Ræberus**

**R**OEberus moritur, Doctorum gloria; nullus  
Sed res qui lapsas restituisset erat.  
Lehmannus contra, divino robore firmus,  
Vivit & immensum nomen ubique tenet.  
Petrus Paulus Henickerus, Ottendorp, Misn.

**A**Udit hanc famam viduata Friberga, vocavit;  
Maluit Annæmons at retinere virum.  
Hinc, sed amica fuit certatio; Filia tandem  
Concedit matri, misit & ipsa Patrem.  
Joh. Christophorus Fischerus, Altenberg, Misn.

**M**Ultis cum lacrumis tandem dimisit eundem  
Quem Annæberga suo foverat ante sinu;  
Nostra sed huncce virum lætè Freiberga recepit,  
De quo pro voto gaudia summa capit.  
Carl Friedrich Michaelis, Schliebenâ Sax.

**S**EXTUM sed tandem lustrum processerat; atque  
Leucoris alma viro nexa brabea dedit,  
Hunc nam Doctorem solenni more creavit,  
Et patriæ implevit sic pia vota, memor.  
Johannes Gottlibius Richterus, Schliebenâ Sax.

**H**INC reputare licet, quantum latentur alumno  
De tanto montes, quam coluisse velint.  
Nam, Lehmannæ tibi, gratantur Oreades: omnes  
Ac similes cupiunt progenerasse tibi.  
Ernestus Augustus Mahlerus, VValdheim, Misn.

**S**CHEIBENBERGA tibi dederat primordia vitæ,  
Annæberga simul proxima stat patriæ.  
Nominis atque decus perficit Leucoris alma,  
Quod Freiberga stupet, quod colit & celebrat.  
Joh. Heinr. Wiediger/ Schand, Misnic.

**O**DEUS alme piùm nostrum ne despice votum;  
LEHMANNUS valeat, nostra corona, caput.  
Non moritur virtus: Sicipse nec immoriatur;  
Hunc semper cernat nostra Friberga suum.  
Samuel Schreyer, Memmend. Misn.

**O**! TE si possent nostræ coluisse Camœnæ,  
Sacrum esset tempus laudibus omne TUIS.  
Sed tua divina est virtus, nec dicere Nestor  
Pollet eam, si vel lactea lingua foret.  
Christianus Abrahamus Seydelius, VValdh, Misn.

**E**UTEBIE stupet ipsa virum: Sed pectora tandem,  
Sic ait, aspiciens candidiora nive:  
Hic mihi Delicium; Decus hic; sit & ipse Sacerdos,  
Qvi mihi Palladium cunctaque sacra ferat.  
VVolfgang Albertus Behrischius, Dresd, Misn.

**P**RESBYTER ut fueras cunctis gratissimus olim;  
Ut pars divini clara ministerii;  
Sic quoque, sancte Senex, & nunc sanctissimus extas  
Præsul & Antistes, Tivus ut ante fuit.  
Johannes David Grossmannus, Groschirm, M.

**I**Llius videas nulli pietate secundi  
Mores & vitam, Zoile, turpis homo:  
Si videas, videas num quid reprehendere possis;  
Sollicitus temere nil reperire potes?  
Gottfriedus Theodorus Bennevitzius, Freib. Misn.  
Instinctu

**I**nstinctu Pauli monitus, divina capeffens  
Iussa, subit casti debita jura thori.  
Consortem thalami sumfit sibi Colerianam,  
Ingenuâ & celebri nobilitate fatam.

Samuel Beckerus, Neundorffens, Mifn.

**Q**uifese exemplar dicunt venerabile morum,  
Sic Monachos cunctos increpuisse licet.  
Quod malunt maculis aspergi, quam sociari,  
Criminis expertes, federe legitimo.

Johannes Gottlieb Mollerus, VValdb. Mifn.

**O**mnem per vitam delectabatur eadem.  
Tantum, quæ lateri juncta marita fuit.  
Inter eos nullis concordia rupta querelis,  
Candida sic mens his una duobus erat.

Christian. Heintic, Ehrenhauf/ Freib. Mifn.

**Q**uæ fors immisit, simul hæc accepit amara,  
Ac simul absterfit, grata & amata VIRO,  
Affixit nunquam hæc conjux dilecta maritum,  
Viva; sed affixit sidera cæsa petens.

Carolus Siegfredus Peschelius, Freib. Mifn.

**I**psius ex obitu quæ durant vulnera tristi,  
Quæque cicatrices ducere lenta parant.  
Leniat ipse Deus, tantos medicando dolores,  
Id quia Galeni plus valet arte malum.

Johannes Christophorus Stollus, Reinsb. Mifn.

**N**ec matrona rogo concessit tota; sed ipsa  
In cælo ac terris usque superstes erit.  
Nam per virtutes vivit post funera raras,  
Ac ejus soboles nunc imitatur eam.

David Gottfried Fleischer.

**S**unt Gnatae Matris similes, Gnati quoque Patris,  
Et rectam sexus pergit uterque viam.  
LEHMANNI felix ita stirps florebat; & alma  
Ista domus nullum degenerem patitur.

J. M. Glæsius, Pfaffrod. Mifn.

**U**t speculum oppositum consuevit reddere vultum;  
Effigiem proles sic genitoris habet.  
Rectius at geritur res, hic quod cernimus, una  
Ingenii cum sint effigiata bona.

C. B. Böttiger.

**U**t celebris nostri doctoris fama LEHMANNI est;  
Et pater excellens audit ubique bene;  
Sic quoque natorum sunt ejus nomina clara,  
Qui mundo profunt, ingenioque valent.

Gottlieb Fridericus Wolffrum Freib. Mifn.

**H**os etenim novit Christi qui militat armis,  
Grex pius, hos novit judiciale forum.  
Noviteos etiam, quæ nobis exera tellus,  
Novit eos Pallas, novit Apollo medens.

Zacharias Ludevigg, Brand. Mifn.

**A** reliquis ut eos quis discernere posses,  
His fuit ad summos scandere cura gradus.  
Nec quisquam dubitet, quin sint majora futura,  
Sperare & virtus non nisi magna jubet.

Johannes Christianus Martini, Freib. Mifn.

Omnibus

**O**Mnibus & natæ veniunt virtutibus auctæ,  
Complexæ sexus, feminei omne decus.  
Quantus amor Patris, senio meritisque verendi?  
Quanta maritorum, quantaque cura Domus?  
Gottlobius Köppingius, Lastavienf. Mifn.

**S**Cilicet haud aliò se gens convertere sivevit,  
Semine nata pio, Numine docta bono.  
Atque hanc in stirpem non suspicio cadit ulla,  
Effrenis fastus, luxuriæque malæ,  
Joh. Godofredus Otto, Noff. Mifn.

**Q**Vid Generos memorem, per natas tam bene cultas  
Quæ tandem accesfit portio grata domûs?  
Quosque suum munus, quos & doctissima Musa,  
Quos virtus præstans, stirps bona nobilitat?  
Joh. Georg Kretzel, Saydenfis Mifn.

**I**Pse DEI summum se præstans oeconomorum  
Omnia LEHMANNUS prospicienter agit.  
Sedulus hinc etenim semper sua munera curat,  
Ante DEUM ne tunc sit rationis egens,  
Christian Pfüller / Franckenb. Mifn.

**N**Uminis hæc igitur vox ipsi aliquando sonabit,  
Olim quam Christus protulit ore suo;  
En! bone serve, fidelis eras ad iustâ Magistri,  
Hinc nunc in cælo gaudia vera cape,  
Joh. Georg Brummius, Meerana Mifn.

**E**Stipfi gravitas in rebus maxima cunctis  
Quam sibi tam sacro munere conciliat.  
Nam non auspiciis hominum, sed numine iustus  
Fasces, heu! fasces sustinet ille suos.  
Joh. Michael VVagner, Freib. Mifn.

**N**Ec minus est Ipsi mens, quæ sit nescia flecti;  
Odit, qui fastu pectora plena gerunt.  
Suscipit hinc cunctos, cunctorum & vota benignus,  
Audit, solatur, consiliisque juvat.  
Christianus Heegius, Scheibenb. Hermund.

**N**ill facit iratus, quod turpe viro est sapienti,  
Nulli nec sancto convenit id vitium.  
Quum vero impietas hominum iustam excitat iram,  
Iraisci pravis moribus ipse solet,  
Joh. Gottofredus Timmelius, Lindavienf. Mif.

**Q**Vis quæso vidit, LEHMANNUS ut ebriuseffer,  
Aut nimio impleffet tempora docta mero?  
Scilicet ebrietas haud ullo tempore sanctos  
Duxerit illecebris exitiosa suis.  
Johann John, Oderanus.

**I**Pse potens lingvæ est, ac nil loquitur nociturum.  
Nec quicquam profert, commoda quin habeat.  
Maxima nam virtus præstare silentia rebus,  
Proxima sed post hæc non nocitura loqui.  
Johannes Paulus Pfüzius, Plot. Mifn.

**U**T ducit dubias flectitque per æqvora flamma,  
Nocturno monstrans tempore clara viam;  
Usque suo exemplo sic NOSTER quo sit eundem,  
Et quod vitandum significavit iter.  
Johann Michael Fuhrmann / Lengefeld, Mifn.  
110

**I**llo contentus quod dat bona dextra Jehovahæ,  
Ceu pestem stygiam turpia lucra fugit.  
Flectuntur nunquam digiti dono scelerato,  
Accipit haud unquam præmia, quo noceat.  
Gothelfsus Fredericus Krauß/ Freib. Misn.

**E**T Deus omnipotens quæ vult conferre benigne,  
Hæc non immemori munera mente capit,  
Non opibus quærit stirpem ditare caducis,  
Has nec condit opes, quæ periisse queant.  
Joh. Carol. Zocherus, Freib. Misn.

**H**umanè curat patria tellure carentes,  
Ac ipsos opibus consilioque iuvat.  
Suscipit hic turbam charis genitoribus orbam,  
Ac viduas, quarum spe sine res cecidit.  
Johann Samuel Endler/

**P**ascitur invidiâ malus, & laudata minutim  
Scindendo infelix extenuata premit.  
At velut intrepidus pellit mala cuncta LEHMANNUS,  
Sic quoque collaudat, quæ bene facta videt.  
Nicolaus Ullbricht, Langenavienf.

**I**mprudens peccat, dum præceps pergit: at ipse  
Res tractat cautus, quas modo cunqve facit.  
Ipsum sic aliquid nunquam fecisse pigebit,  
Si vel oportet eum dura tulisse onera.  
Johann Wilhelm Seebach, Freiberg Misn.

**C**uique suum tribuit, nihil appetit ex alieno,  
Pectore & affectus non habet ipse suo.  
Omnibus hinc facilis patulam dat patibus aurem:  
Sed censura rei, justitiam retegat.  
Petrus VVackvvitzius, Noss, Misn.

**I**n precibus fervens, vultus ad sidera tollit,  
Et placare Dei corda minantis avet.  
Avertit damna, & bona cuncta parare laborat,  
Christiadum populo; Suscipe vota DEUS!  
Christophorus Carolus Hertvvigius, Schvvartzenberga-Misn.

**N**on ipsum frangunt immenso turbine curæ  
Sed mens ex istis pabula læta perit,  
Utque fatisciat sibi: non mundana, sed ista  
Quæ prosint templis, quæque piis sequitur.  
Carolus Gottlobius Stollus, Reinsbergenfis Misn.

**H**aud quicquam memorat, nil dicit, pagina scripto,  
Quin hoc, ut fatis est, dogmare sacra probet.  
Hæc ut sola fuit dux ipsi ac regula constans,  
A teneris; & sic est quoque norma Senis.  
Joh. Gottlob Piller, Ruppand, Misn.

**Q**uod fuit Argolicis, quondam Chrysothomus oris,  
Id nobis Noster reddidit ore suo.  
Quodque Latinorum genti Ambrosius fuit olim  
Id quoque LEHMANNUS religione refert.  
Christianus Grüberus,

**H**ortantem, facies peccati nulla fatigat;  
Instat, & intrepidus quæ facienda monet.  
Quæ fugienda monet cunctos: nunc instar Olympi  
It placidus; sed nunc fulmina dura vibrat.  
Johannes Christophorus Vulcius, Rechenbergenfis.  
Et

**E**T quis devincit cœtus felicius hostes  
Divini, mala si bella movere velint?  
Arguit errores; si nolint cedere, sternit;  
Infelix lolium ne dominetur agris.

Augustus Fleck, Leosfeinenfis Mifn.

**Q**Vinon concipiant lætanti pectore plausus,  
Qveis bona supplicibus tam cumulata fluunt?  
Optimus hic Doctor; Fidisimus ipse Patronus;  
Præfes & est vigilans; vel Pater alter erit.

Christianus Heinricus Vultius, Rechenb.

**O**! igitur, sanæ mentis, quis fundere noller  
Vota, precesq; pias, quo fier incolumis?  
Vosego Pierides testor, quis, si bonus audit,  
Hunc non servari tempora longa velit?

Johannes Felicianus Richterus, Dittmannsd, Mifn.

**S**acris idcirco rebus fervetur; & ipse  
LEHMANNUS Vigili Præfide permaneat,  
Confirmet Patriam precibus, Domuiqve favendo  
Prospiciat, curet perpetuoqve Scholæ.

Theodorus Gottlobius Fischerus, Freib, Mifn.

**Q**vo nunc implicitus duro morbo ipse tenetur.  
Transeat in ventos, sit procul omne malum!  
Qvas dederat quondam cœlestis gratia vires,  
Ad vorum redeant, sit prope quodqve bonum!

Johannes Paulus Crellius, Háynichensis Mifn.

**V**iribus optamus, validis Deus instruat ipsum,  
Morbus qvas membris, demserat ante piis.  
Ætatiqve valetudo sit firma senili,  
Pars melior vitæ prædita qua fuerat.

Johannes Paulus Kuntzius, Leif, Mifn.

**A**stiduus veluti floreat ramus olivæ,  
Sic quoqve LEHMANNUS floreat ac vigeat;  
Siquè novus desit non nunquam fructus olivæ,  
Ipse tamen fructus Lætitia capiat.

Johann Christoph VVerner,

**H**Æc, quæ læta quidem, nec non pia gaudia prodit,  
Nube sed obducta est lugubriore, Dies:  
Candidior redeat divino adjuta favore;  
Per multos annos candidior redeat!

Johann Christoph Grimmeisen/ Freib, Mifn.

**T**ota Domus, quæ sat doluit, LEHMANNIA, tandem  
Post luctus refecet lætitia segetem,  
Posthæc non Caput hoc sanctum petat æstus acerbus,  
Utantur cunctis membra levata bonis,

Christianus Matthæi, Forchheim;

**A**udiat immensum tam læti vota Diei  
Numen, det plus, quam vota cupisse qveant,  
In tutores est; Deus ut nos iusta petamus,  
Vult; hinc & nobis iusta petita dabit.

Gottsfredus Göpffertus, Burckersd, Mifn.

78 N 13 [78]

IPSIS VIGILIIS,  
QVIBUS PRÆSIDIS SCHOLARUM ET CUSTODI  
O. M. SPIRITUI SANCTO,  
PRID. ID. MAJI, A. R., G. clō 15 cc XII.  
SACRA SOLENNITER PARABANTUR,

N AUSPICATIS-  
S I M U M  
REVERENDI, AMPLISSIMI,  
EXCELLENTISSIMI,  
O M I N I  
I S T I A N I  
M A N N I,  
THEOLOGI MERITORUM MA-  
IORIA CELEBERRIMI, PRÆSULIS, ATQVE  
BERGENSIS PRIMARI, EPHORIQVE SUI  
GRAVISSIMI,  
DIE IN FASTIS CELEBRABATUR,  
TU, PIETATIS ET OBSERVANTIÆ  
CAUSA, CANUNT  
QVOD FREIBERGÆ EST,  
RES, CUM SUPERIORUM  
NUM DISCIPULIS.

— — — — —  
FREIBERGÆ,  
TANNO KUHFIJANO.



Kapsal 78 N 13 [78] X303253P

AK